

At calor ipse caelestis, quem teporem de Pythagorae sententia animae universalis instrumentum esse diximus, in haec interiora instrumenta agendi non sine anima in singulis animalibus agit. At anima non quacumque (non enim si plantae semen in  
5 uterum canis inieceris, aut canis aut planta formabitur), sed sit anima congener, ὁμογενής quod superius dixerat. Sint animalia etiamsi speciei diversae, hinc muli, hinc infinita monstra ex variorum seminum calorum spirituum animarum commixtione generari conspiciuntur, et saepius si animae sint, ὁμοειδεῖς, quod  
10 itidem dixerat eiusdem speciei.

Ea ergo ratio in anima est antequam in spiritu et in spiritu antequam in calore, in calore antequam in semine, in semine antequam in utero. At antequam in anima sit, ex antiquorum quidem sententia scimus in mente esse, at ex Aristotelico dogmate  
15 ubi nam erit? In anima mundana, inquam, bone Deus, inquit nostrates Peripatetici, novum hoc est dogma, mundum animam habere: at boni Peripatetici 2. De coelo, nonne mundus animal est Aristotelis doctrina in his verbis, quae sunt capite 12:<sup>35</sup> *Sed nos veluti de<sup>xii</sup> corporibus solum ipsis et unitatum ordinem quidem habentibus, inanimatis vero penitus cogitamus. Oportet autem tamquam de participantibus actione et vita existimare.* Actio autem et vita, quas non multo post etiam astris singulis tribuit, non sine anima est et maximus Peripateticorum Alexander prima suarum quaestionum probat mundum esse animal.  
20

Neque enim vero consonum est, quod 8. capite eiusdem libri 2. De coelo Aristoteles scripsit:<sup>36</sup> *Nihil enim casu facit natura neque animalium curam habere, hac autem ita honorabilia negligere.* Cum

<sup>35</sup> ἀλλὰ ἡμεῖς ὡς {περὶ} σωμάτων μόνον αὐτῶν, καὶ μονάδων τάξιν μὲν ἐχόντων, ἀψύχων δὲ πάμπαν, διανοοῦμεθα. δεῖ δ' ὡς μετεχόντων ὑπολαμβάνειν πράξεως καὶ ζωῆς. [ARIST. Cael. 292a.18 – 21]

<sup>36</sup> οὐδὲν γὰρ ὡς ἔτυχε ἢ φύσις ποιεῖ, οὐδὲ τῶν μὲν ζώων φροντίσαι, τῶν δ' οὕτω τιμίων ὑπεριδεῖν. [ARIST. Cael. 290a.31 – 32]

<sup>xii</sup> riječ *περὶ* nedostaje u grčkom citatu, ali čini se da u prijevodu postoji – de.